

- Res praefinivit, res mente prius stabilivit;
 Deinde creavit eas <et> eis impressit ideas,
 5 Verbo dictante quicquid conceperat ante.
 Quaeque prius iecit rerum primordia, fecit
 Sic simul uniri, quod possent pace potiri.
 Aequavit primum vires, ne semper ad imum
 Terrea descendat, sursum vis ignea tendat.
 10 Pondere tardatur levitas pondusque levatur.
 Pondera vibravit, mediis extrema ligavit.
 Nam cum diversae vires nequeant sibi per se
 Concordes esse, quod opus fuit ac necesse,
 Binis iunguntur mediis et pace fruuntur.
 15 Ne labefactentur velut vinclis nexa tenentur,
 Uniturque globus, quia sunt duo iuncta duobus.
 Est geometralis commensuratio talis.
 Pace sub alterna tenet hic tenor illa quaterna,
 Mundum conservat, dispersa simul coacervat,
 20 Conciliatque fidem modus ille ligaminis idem.
 Exemplo mentis sic archetypas elementis
 Formas impressit opifex motusque repressit.
 Sicque secanda secans et vires viribus aequans
 Conveniente modo stabili ligat omnia nodo.
 25 Sic in tranquillo sita sunt, sic illud ab illo
 Nec timet impelli propria nec sede revelli.
 Haec ubi collegit et in unum sparsa redegit,
 Mundo pace data pugnaque reconciliata
 Miscet per totum vitalem denique motum.
 30 Quem sic infundi voluit per climata mundi,
 Ut nullis esset discors nullisque deesset.
 Hincque potestates confert et commoditates
 Corpora formandi formataque vivificandi.
 His ita collatis virtutibus et modulatis
 35 Toti miscetur mundo mundusque movetur,
 Cui rationari motu datur orbiculari.
 Ex hac mixtura sequitur mundi genitura
 Et fit fecundus diverso germine mundus.
 Caelum stellatur, genus aerium spatiat,ur,
 40 Terra suos fructus, sua fert animalia fluctus.

Ich widerstehe der Versuchung, der kleinen Dichtung einen Platz innerhalb der philosophischen Literatur

4 'et' in der Hs. durch Wurmfrass zerstört. 15 Ne] 'non' Hs.
 15 vinclis] 'ulvis' Hs. 18 'ille' Hs. 22 'opifex' aus 'opofex'.
 23 'secans' aus 'sequens'. 23 'equans' aus 'equens'. 35 Von hier an
 zweite Hand.